

Prot. N. 13.557/81 C.A.

NEMAUSEN

Dimissionis

(Fr. Paulus - S. Congregatio pro Religiosis et Inst.tis Saec.ribus)

Instantia diei 20 iulii 1981, Frater Paulus, professus perpetuus in Instituto, nunc degens in dioecesi Nemausensi, recursum Sectioni Alterae Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis exhibuit adversus decretum Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 2 iunii 1981, prot. n. 4640/80, quo confirmatur dimissio a Consilio Generali Instituti diei 30 aprilis 1981 statuta.

A recurrente sequentes adductae sunt legis violationes:

In procedendo, quia accusationes non fuerunt, ad normam iuris, R.Fr. Paulo, manifestatae et patefactae, ita ut ille non valuerit uti iure defensionis.

In decernendo,

a) *quia summa omnium accusationum originem habuit ex calumniis cuiusdam religiosi, qui superioribus denunciaverat in gestione « de l'Ecole Technique » multa contra iura verificata fuisse ob culpam recurrentis.*

b) *Accusationes locum dederunt proceduram quae duxit ad dimissionem recurrentis.*

c) *Recurrens nullum delictum sibi imputatum patravit, eo quod is voluisset tantum adhaerere adamussim originariae Constitutioni Instituti,*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

examini subiectis actis causae atque memorialibus Patronorum partium necnon voto Promotoris Iustitiae ac responsiones partis recurrentis,

attento quod

1. in procedendo nulla illegitimitas invenitur, quia

a) *Superiores Instituti et S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus processerunt per annos prudenter et iuxta caritatem, exhortantes Fratrem Paulum ad debitam oboedientiam;*

b) *monitiones datae fuerunt ad normam iuris;*

¹⁶ Cf. Can. 703; Can. 695 par. 2; 698; 699 e 700. E' chiaro che se vi sono gli estremi oggettivi di delitti che rechino grave scandalo esterno, oppure un gravissimo danno all'Istituto, è più facile acquisire le prove oggettive e procedere alla remissio ad saeculum, che è diversa dalla dimissione, in quanto per questa si richiedono maggiori garanzie ed una più rigida procedura.

c) *recurrenti non defuit facultas sese defendendi qua abunde usus est;*

d) *rationes a seipso allatae rite examinatae fuerunt;*

e) *S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, antequam decisionem ederet, diligens omnium actorum examen perfecit;*

2. in decernendo nulla illegitimitas invenitur, quia:

a) *graves adsunt causae pro dimissione recurrentis ob violationem voti paupertatis in dispositione bonorum Instituti necnon in acquirendis aedibus et praediis sine consensu Superiorum;*

b) *apparet quoque violatio voti oboedientiae eo quod recurrens noluit mandato, vi voti sibi dato, obsequi;*

c) *recurrens graviter violavit leges ecclesiasticas in erigendis domibus pro novo, a se instaurato, instituto.*

In Congressu habito die 1 iunii 1983, coram infrascripto Cardinali Praefecto,

decrevit:

Recursum Rev. di Fratris Pauli adversus decisionem S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 2 iunii 1981, prot. n. 4640/80, non esse admittendum ad disceptationem utpote manifeste carentem fundamento.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 14 iunii 1983.